



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Augst. Hutcher
- 2 Sadnel & unisformis nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3. Aldrini
- 4 Disp. de pro. acti tum p[ro]p[ri]a tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes 20 p[ro]p[ri]a & multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ex cap. 1. Cor. 10. ^{ad p[ro]p[ri]a}
- 7 De nobilitate & voluntate ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d. Consistorium zu
Leipzig, vnter altsch. d. Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XX.

DE REBUS CI-
VILIBVS; ET POTE-
state Ecclesiastica:

EX ARTICVLO XVI.
*Confessionis Augustanae: & se-
prio mutatum abusuam*

Quam

*Docente Spiritu Sancto;
sub presidio*


LEONHARTI HUTTERI, S.
*Theologiae Doctoris, & Professoris publici,
defendet*

M. GREGORIUS HAGIUS Obern-
Brettanus Francus.

Mense Maio, horis locoq; solitis.

VVITEBERGÆ,
Typis Zachariae Lehmanni.

Anno M. D. XCVIII.



SPECTATISSIMIS CON-
SULTISSIMIS ET INTEGER-

rimis viris, Eruditione, prudentia &
Virtute præstantissimis:

*Dn. GEORGIO HOFMANNO, Inclita
Reipub. Cittingensis civi & Senatori
Primario: Affini suo multum hono-
rando:*

ET

*Dn. IOHANNI HAGIO N. P. in Mein-
stockheim, &c. Patruo suo plurimum co-
lendo:*

Disputationem hanc de-
dicat & offert

M. Gregorius Hagius



DE REBUS CIVI-
libus.

THESIS I.

Rituum Ecclesiasticorū tractatus, reliquo-
rum duorum Ordinum hierarchicorum,
Politici nimirum & Oeconomici conside-
rationē Methodo convenientissimā sub-
iungit Confessio nostra.

2. Causa facti fuit, ut non tantum innocentiae tro-
phaeum doctrinae Evangelij adversus quasvis ma-
levolorum obtreccationes statueret: sed contra er-
rores etiam atque abusus hominum male feriato-
rum, Monachorum puta, Libertinorum, Anaba-
ptistarum & similium praesens remedium hoc Articulo relinqueret.

3. Accidit autem huic etiam Articulo XVI. gra-
vis omnino variatio: cuius causa nulla iusta & pre-
gnans uti fuit auctori: sic adversarijs calumniandi
ansam praebuit.

4. Patet hoc ex harmonia Andreae Fabricij, non Harm. Fabr.
pag. 282.
tam mutationis, quam omnimodae Prototypi con-
demnationis nostros inde aperte insimulantis, dum
sic scribit: *Cum in prototypo docuissent, Evangelicam per-
fectionem esse in timore & fide, hic manifesto DEI verbo
convicti, dilectionem & obedientiam adjungunt: Quod
recte, & nos verissimum esse confitemur, si tamen ab illis
motibus cordis externa testimonia fidei & charitatis non
excludant.*

A a

s. Et

5. Et sanè videtur ex hac variatione, error eorum pullulasse, qui post Lutheri obitum, fidei justificationem cum nostrorum operum assumptione commiscere minimè dubitarunt.

6. Quare neglecta spuria & adulterina editio, Prototypi stamus puritatè, quæ partibus suis duabus proprijs absolvitur: *Hæc* nimirum, saniolem Ecclesiarum nostrarum doctrinam de rebus civilibus, ex scripturis proponente & confirmante: & *Altera*, stricta partim in Anabaptistas, partim in Monachos: quorum utriusque de Ordine politico erroneas fovent opiniones.

7. Tractationi huic perquam cognata videtur ea quæstio, quæ movetur de Potestate Ecclesiastica, num ea cum Politica eadem sit, an diversa: cuius quæstionis diæxon, Articulo septimo & postremo abusu mutatorum, nostra expedit Confessio.

8. Nos utriusque Articuli tractationem hac vice coniungentes *Hæc* duabus istis principalibus Quæstionibus commodè absolvi posse iudicamus: I. Quid de rebus civilibus, sive legitimis ordinationibus civilibus mens pia credere & sentire debeat. II. Quid discriminis intercedat potestati Ecclesiasticæ cum politica: & num utriusque jus uni personæ eodem modo possit competere.

Partis I. Invenis, Quæstio I.

9. De rebus civilibus partim in genere, partim in specie suam confessionem edunt protestantes: Ac in genere quidem, suas Ecclesias docere asserunt, quod *legitimæ ordinationes civiles sint bona opera DEI*, ac proinde sint licitæ.

10. Ordinationum civilium termino indignantur leges.

legēs & constitutiones publica Magi-stratum au-
toritate sancitæ: Quas civiles nominari usu rece-
ptum est, partim à causa efficiente sive autoribus
legum, qui in politica rerum civilium administra-
tione plerumque sunt constituti; partim à conditio-
ne materiæ quam tractant, quæ externæ politiæ u-
sum maximam partem respicit.

11. Neque verò simpliciter & absolute cuius ordi-
nationi civili, sed cum restrictione, ordinationi *le-
gitima* elogium hoc deberi disertè innuunt Confes-
sores.

12. Quicquid enim vel cum expresso DEI ver-
bo, vel lege naturæ, vel honestate publica ullâ sui parte
pugnat: illud non magis licitum appellare lice-
bit, quàm ipsa scelera ac flagitia, quæ præceptis DEI
apertè prohibentur.

13. Vice versa, quæcunque ordinationes præceptis
DEI consentaneæ, legi naturæ ac honestati publicæ
affines: eas tanquam bonas & licitas, subire homi-
ni Christiano: & earundem operâ uti fas fuerit.

14. Sunt enim bona DEI opera, eiq; grata & ac-
cepta, quippè ab ipso, qui est fons & autor omnis bo-
ni, mediante cura & dispositione hominum, pro-
fecta.

15. Cæterùm in specie etiam quarundam rerum
civilium pertexit Catalogum Confessio nostra, qui-
bus & elegium istud, quod sint licitæ, propriè compe-
tat; & ex quorum naturâ ac conditione, de reliquis,
quæ in controversiam veniunt, iudicium peti & pos-
sit & debeat.

16. Docent (inquit Confessio) 1. quòd Christianis li-
ceat gerere magistratum: 2. exercere iudicia: 3. iudica-
re res ex Imperatoris, & alijs presentibus legibus: 4. sup-
plicia

plia iure constituere 5. iure bellare, militare: 6. lege
contrahere: 7. tenere proprium: 8. iuramentum postulans
tibus Magistratibus dare: 9. ducere uxorem, nubere.

17. Primum locum in Catalogo isto obtinet **O R D O M A G I S T R A T V S**, tum ob eius dignitatem,
qua ad DEI officium quam proximè accedit: tum ob
eius necessitatem, quæ tanta est, ut è mundo sublas
to magistratu politico, omnis protinus humana so
cietas corruiere necessum habeat.

18. Militant pro hac specie, tum illustria exempla
eorum, qui in hoc ordine constituti **D E O** cum pri
mis placuerunt: ut Moïsi, Iosua, Davidis & similium:
tum expressa scripturarum testimonia & mandata,
quibus à **D E O** ipso Magistratum constitui, ad oculo
rum demonstrari potest.

19. Deuter. 16. 18. præcipit Moysi Iehovah: Iudices
& magistratus constitues in omnibus portis tu
is, ut iudicent populum iusto iudicio. Rom. 13. 1.
Omnia anima potestati supereminenti sit subdita, 1
Pet. 2. 13. Subiecti estote cuivis humanæ ordina
tioni propter Dominum, sive regi, ut qui superemi
neat; sive præsidibus, ut qui per eum mittuntur.

20. Et Emphaticum est illud, quod Apostolus ali
quoties repetit: Non est potestas, nisi à **D E O**: Rom.
13. 1. Item: Quæ verò potestates sunt, à **D E O** or
dinate sunt: ibid: Item: Quisquis resistit magi
stratui, **D E I** ordinationi resistit. Rom. 13. 2. Vnde
Magistratum **D E I** quoque ministrum appellat,
Rom. 13. 4.

21. Hinc & licitum esse hunc ordinem, &
Christianum bonâ conscientia eo fungi posse, invi
cta hac *ἀποδείξι* contra Anabaptistarum & aliorum
fanaticorum furores demonstrari potest.

Omnia

Omnis ordinatio D E I est bona & Christianis concessa. Ratio: Quia D E V S non est autor mali, sed solius boni.

Atqui verò Magistratus est Ordinatio D E I: vi testimoniorum scripturæ jam productorum:

E. Magistratus est ordo bonus, & Christiano homini licitus & concessus.

22. Frivolum autem & elumbe prorsus est, quòd distinguunt adversarij inter tempus veteris & Novi Testamenti, et in illo quidem Magistratum gerere, licuisse, vel inviti largiuntur: in hoc verò non item: eò quòd Magistratus officium per Evangelium sit abrogatum.

23. Ignoravit nimirum hoc Apostolus, qui Romanis in novo profectò Testamento, sub regno Christi constitutis, luculentissimè testatum facit, Magistratui esse obtemperandum, propterea quòd ille etiamnum sit & maneat bona D E I ordinatio, à D E O ipso non minus in novo, quàm olim in veteri Testamento constituta.

24. Et profectò tantum abest, ut Christus sub Novo Testamento Officium Magistratus voluerit antiquare aut abolere, ut potius ipse disertè præcipiat, Dandum esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Matth. 22, 21. Et centurionem illum, Matth. 8. 10. qui & ipse erat Magistratus, summis laudibus extollat, ac fidem illius mirificè prædicet: nullo certè pacto præcipiens, ut officium suum deponat, si Christianus esse velit: sed perspicua potius hac commendatione fidei ipsius, & Christianum & centurionem simul ipsum esse posse, manifestè docens.

24. Altera

25. *Altera species* ex prima hac sua sponte enascitur, sic mutua Relatorum natura docente: ut nimirum, si Magistratum gerere fas sit, uti certe fas est, statim liceat etiam iudicio experiri, in foro causas agere pro tribunali, jus suum persequi &c.

26. Nititur haec assertio rursus Scripturarum auctoritate & cum primis exemplo Christi, causam suam coram Pontifice sacerdotum contra servum se percutientem agentis, Ioh. 18. 23. Et Apostoli Pauli, ad tribunal & forum Caesaris, provocantis. Act. 25. 11.

27. *Tertia species* legum determinationem habet, ex quibus res controversas definire ac decidere liceat: nempe ex Imperatorijs, alijsque presentibus legibus.

28. Mussitant hic aliqui, & cum dubium non sit optimas ac perfectissimas leges ceteris praferendas esse: jam vero constet, neminem meliores & perfectiores leges ipso D. E. O. sancire posse: Quærunt, cur non Mosais potius legibus utantur Christiani, quam ijs, quæ ab hominibus Ethnicis, maximam partem sunt constituta.

29. Verum res satis est expedita, si consideretur, uti aliarum rerum, sic legum quoque praestantiam alias *ἀπλως* seu simpliciter considerari: alias vero *ἔν* & certo quodam respectu.

30. Optima igitur lex *ἀπλως* est ipsa lex Naturæ quæ est immota & perpetua ac æquabilis juris: Positive autem leges, nullæ *ἀπλως* sunt optimæ, sed aliæ alijs praestantiores *ἔν* *ἕ*, respectu videlicet varietatis ingeniorum locorum & temporum.

31. Deinde vero in ipsa legum natura ponderanda, non considerandum est, quis eas promulgaverit:

rit: Fieri enim potest ut *vōμoθῆμs* sit Ethnicus, à fide
Christiana alienus; sed attendendum potius, An le-
ges illæ cum lege DEI, & lege naturæ consentiant.
Tales si fuerint, nihil obstat, quò minus secundum
earum præscriptum judicari possit: à quocunq; tan-
dem eæ fuerint latæ.

32. Quòd verò Mosaicis legibus minimè astric-
ti hodiè teneamur, & Romanis legibus, aut alijs
publica Magistratum & Imperatorum autoritate
confirmatis uti liceat, multis rationibus ad oculum
demonstrari potest.

33. Quid enim sibi vult Moses aliud, legum sua-
rum vel ceremonialium vel forensium promulgatio-
ni plarumq; subjiciens: *Hæc custodietis in familijs VE-
STRIS & in cognationibus VESTRIS*; quàm nullum
aliud populum his legibus teneri, præter Iudaicum.

34. Deinde si necessitatis & juris divini esset, ut
legi Mosaicæ Christiani se submitterent, consequens
foret, omnibus in universum legum illarum specie-
bus eosdem astrictos esse. At posterior hæc con-
ditio est partim inutilis, partim impossibilis. Ergo.

35. Ratio assumpti patet inde, quia fieri nequit, ut
omnes forenses leges Mosis, nostro tempore, nostrisq;
moribus accommodentur: ut, Exempli gratia; An-
num Iubilæum, prædiorum rediciones ad priores
dominos, servitutem aut septennalem aut perpetua-
am postliminiò instituere, prorsus est impossibile.

36. Tùm Iohannes Baptista approbat militiam
Romanam, ac per Consequens, Romanas etiam le-
ges & constitutiones: Luc. 3. 14. Centurio, cuius fi-
dem servator tantoperè prædicat, Magistratum su-
um jure Romano administravit, sicut & à Romanis

B

in lu-

in Iudeam erat missus. Matth. 8, 5. Luc. 7, 2. Divus
Petrus Cornelium Centurionem, jam conversum,
non jubet jurisdictionem illam Romanam abijcere,
Act. 10, 1. Quemadmodum nec Paulus Proconsul
Iem damnat. Act. 13, 7. Quin ipse etiam Paulus
jure Romano utitur, civitatis scilicet Romanae, &
provocationis sive appellationis ad Cæsarem. Acto,
16, 37. & cap. 25, 11.

37. Huc accedit & illud, quod Leges Imperatorie
& Ius Romanum, Iuri divino non est contrarium:
ac proinde res externa, qua, vi libertatis Christianae
sive Evangelicae, liberè uti liceat: ita, ut quemadmo-
dum liberum perse est Ius Romanum, quia æquum:
Ita propter Magistratum auctoritatem & consen-
sum, obedire ei Christianos deceat.

38. Neque verò interim negamus, licere Magistra-
tui ex Iure Mosaico ad suas politias liberè, quæ
velit, transferre: quæ nimirum cum lege naturæ ac
Decalogi congruunt: ita tamen, ut ablit & opinio
necessitatis atq; cultus, & singulorum locorum, tem-
porum atque ingeniorum varietati genus illud legis
attemperetur, non ipsa species, si diversa sit & non
congruat, urgeatur.

39. *Quarta species est Supplicia constituere in fontes,*
& id quidem jure, nempe secundum præscriptum
legum,

40. Confirmat hanc speciem Apostolus, Magistra-
tum non frustra gladium gestare, imo ab eodem,
vicarias quasi operas DEO præstari, in vindicandis
improbiorum sceleribus asserens. Rom. 13, 4.

41. V. Quemadmodum verò privata crimina civi-
libus pœnis plectere licitum est Magistratui: ita pu-
bli-

blica etiam, acrius propulsare, & militiam ac bella gerere, quin eidem concessum sit, ac jure divino (modo iusta belli causa sit) minime improbetur, nemini dubium esse potest.

42. Accedit iuris divini autoritas: siquidem DEVS per Mosen belli gerendi formam ipse præscripsit. Deut. 20, 1. accedunt exempla bellatorum, quos nihilominus pios fuisse, DEOq; acceptos constat, ut Abraham, Gen. 14. Mosis, Davidis, Iosue. Accedit denique Iohannis Baptistæ approbatio, qua milites ad se adventantes non arma iubet deponere, militiamvè deserere: sed vi iniusta abstinere, & stipendijs suis contentos vivere. Luc. 3, 14.

43. Sextam speciem, quæ est *Contractuum civilium* ipse Spiritus Sanctus in scripturis astruit, dum præcipit, ut ne quis in negotio fratrem suum opprimat aut circumveniat. 1. Thess. 4, 6. 1. Cor. 7, 30.

44. *Proprietatem bonorum*, quæ septima rerum civilium species hoc loco constituitur, doctrina Evangelij nusquam improbare legitur, etsi fiduciam quam in opibus locare solent homines, nullibi non interdicit & damnat.

45. D. Apostolus divitibus huius seculi non desertionem facultatum præcipit, sed beneficentiam ac liberalitatem commendat, & ne spem in incertis ponant divitijs, denunciat. 1. Tim. 6, 17.

46. Neque Apostolorum obstat exemplum, quos suas in commune opes contulisse, sacra testatur historia. Act. 4, 34.

47. Temporibus enim iniuriæ & difficultati, quæ tum obtinebat hoc est tribuendū: & Apostoli ipsi cuiuslibet liberam bonorum possessionem relinquebant, id quod ex historia Ananiæ est manifestū, Acto. 5, 4.

ideo ut communionem illam bonorum non absoluti juris, sed facti; non necessitatis, sed commoditatis pro temporū conditione liberrimā esse, ostenderent.

48. Et quid sibi vult aliud septimum Decalogi præceptum, quā ut cuiuslibet tutam bonorum suorum possessionem assignet: & quemque suarum facultatum Dominum constituat: Quemadmodum & Salomon idem inculcat, jubens ut divitum rivuli deriventur quidem foras: sed ut ipsi SOLI DOMINI permaneant, nec peregrinus cum eis, prov. 5. 15.

49. VIII. De Iuramenti usu res itidem ex scripturis satis est plana & expedita: Iuravit DEVS ipse, Gen. 22. 16. Iuravit Apostolus 2. Cor. 1. 23. mandat DEVS magistratui Israëlitico, certo quodam casu iuramentum à subditis exigere & accipere, Exod. 22. 8. & 11. Iusiurandum ad confirmationem adhibitum, omnium controversiarum finem esse pronunciat Epistola ad Hebræos, cap. 6. 16. Quin imò hæc civium regni Christi nota prædicitur, quòd sint iuraturi per DEVM verum, Ios. 65. 15. Jerem. 4. 2. & cap. 12. 16. & ut jurent in nomine DEI præcipitur, Deut 6. 13.

50. Huc accedit, quòd Lex de Iuramentis ad legem moralem pertinet, & sub secundum Decalogi præceptum refertur, tanquam pars cultus divini, qui DEO lingua & ore hominis dependitur: Unde eam sublatam esse nemo dixerit, nisi qui legem moralem abolitam statuerit.

51. Quòd ad verba Christi, omnino non jurandum esse asseverantis, Matth. 5. 34. nihil inde patrociniū Anabap-

nabaptistarum errori accedit: siquidem ex scopo totius concionis Christi apparet, propositum esse ipsi legem de Iuramentis non planè tollere, sed à scribarum corruptelis pharisaicis repurgare, qui illam non nisi periurij crimine violari opinabantur. Christus verò etiam iuramentis non necessarijs eam lædi docet.

52. Rejicit igitur & damnat Iuramenta non omnia, non absolute & simpliciter: sed Iuramenta temeraria, quæ nulla justa ac necessaria de causa, non sine horrenda nominis divini prophanatione temerè suscipiuntur.

53. Deinde pravam illam & tum temporis valde usitatam consuetudinem jurandi per creaturas improbat, id quod statim subjecte Iuramentorum formulæ ostendunt, qua pharisæi honorem soli DEO debitum, creaturis tribuebant.

54. IX. Matrimonij sive Coniugij sanctitatem & necessitatem scriptura sacra nullibi non inculcat. Genes. 2. 24. Psal. 118. 2. & seqq. Prov. 31. 10. & seqq. Matt. 19. 11. 12. 1. Cor. 7. 2. Hebr. 13. 4. ita ut eam maligno dente arrodere qui velit, meritò *αἰσχροῦ* haberi possit & debeat.

55. Harum novem specierum notatione, reliquas etiam universas legitimas ordinationes civiles simul comprehendit Confessio nostra: de quibus illis singulis disertè affirmat, licitas & concessas eas esse, sic ut subire ipsas homini Christiano liceat, & earundem operâ uti, nemini sit prohibendum.

B 3

QVÆ

QVÆSTIO II.

Quid discriminis intercedat potestati

Politica cum Ecclesiastica?

56. Ea fuit superioribus seculis in Papatu rerum omnium & utriusq; potestatis, Ecclesiastica ac Politicæ confusio, ut non modò potestas Ecclesiæ propria in Tyrannidem degenerârit: sed & politica potestas tota penè extincta & e medio sublata fuerit.

57. Quid enim obsecro cum Tyrannide magis coniunctum esse potuit, quàm quod Antichristus, Pontifex Romanus, & Episcopi merum ac mixtum, infinitum & absolutum sibi imperium in Ecclesia arrogarunt.

58. Vnde ea tribuebant Pontifici Romano privilegia, assentatores & palpones Romani, ad quæ pius quisque exhorrescit: ut

1. Quòd Romano Pontifici omnis humana creatura subesse debeat, idq; de necessitate salutis, Bonifac. VIII, in Extravag.

2. Quòd papæ tradita sit omnis potestas in coelo & in terra.

3. Quòd etiam super Angelos iudex constitutus.

4. Quòd immutare possit rerû naturam: & aliquid de nihilo facere.

5. Quòd maior papæ potestas, quam omnium sanctorum, Baldus.

6. Quòd contra ius, supra ius, & extra ius omnia possit.

7. Quòd papæ potestas extendat se ad cælestia, terrestria, infernalja.

8. Quòd omnia subiecta sint pedibus ipsius, iuxta

xia

xta Psal. 8. Oves, id est, fidelium, animæ: boves
id est Iudei: pecora campi, id est, Ethnici: volucres
cæli, id est, beati cælitæ: pisces maris, id est, animæ
defunctorum.

9. Quod DEVS sit terrenus: vel certè nec DEVS,
nec homo, sed medium aliquid, juxta rithmos vul-
gares:

*Papa stupor mundi, solus qui maxime rerum,
Nec DEVS es, nec homo, quasi neuter es, inter utrumque.*

Id est, Incarnatus Diabolus.

Et quæ sunt huius generis sexcenta alia, quæ in
nostrorum Theologorum scriptis Methodicis, in
Articulis de Ecclesia, & Potestate Ecclesiastica, ma-
gno numero collecta reperiuntur.

59. Undè ea de qua diximus, utriusque potestatis
Confusio suam traxit originem, quæ infelici partu
enixa est sobolem, quam B. Lutherus noster nomi-
nat *καίσαροπαπάτιον* Casaropapatum, das Keiserliche
Bapstumb/ ubi clerici absolutam sibi rerum civilium
& secularium potestatem, ausu nefario sumserunt.

60. Confusionis huius effectus fuit geminus, Inter-
nus unus: alter externus: uterque præsentissimam
rerum & Ecclesiasticarum & politicarum pestem in-
decens.

61. Interna incommoda fuerunt, I. Tyrannis con-
scientiarum, in novis instituendis cultibus, quorum
figendorum refigendorumq; potestatem absolutam
& simplicem sibi Pontifex arrogavit.

62. II. Reservationes casuum, hoc est, privilegia
conferendæ absolutiõis ei delictis gravioribus: &
potestas dispensandi contra leges & statuta tum sa-
cra quàm civilia,

63, III.

63. *III.* Violentarum excommunicationum temeritas, quæ non in clericos duntaxat, sæpius ob levissima etiam delicta; sed in reges etiam atque Imperatores, fuerunt decretæ.

64. In commoda externa, ex internis istis subsequuta fuerunt & plurima & gravissima: ut bella atrocissima, motus maximi, potentissimorum regnorum ruinæ: ipsius adeo Romani Imperii inclinatio.

65. Hinc Gregorius *VII.* Henricum *IIII.* Imperatorem; Hadrianus *IIII.* & Alexander *III.* Fridericum *I.* Barbarossam; Innocentius *III.* Philippum & Othonem, Gregorius *IX.* & Innocentius *IIII.* Fridericum *II.* Iohannes *XXII.* Ludovicum Bavarum, fortissimos & præstantissimos Imperatores nequissimi & perditissimi Pontifices, & furia Romanæ, gravissimè fuerunt persecuti.

66. Infert ex his Confessio nostra Articulo *VII.* & postremo mutatorum abusum, iustas & necessarias prorsus fuisse causas oblatas Orthodoxæ Ecclesiæ, doctrinam puriorem restaurandi, cuius summa consistat in discrimine vero atque proprio potestatis utriusque, Ecclesiasticæ & politicæ monstrando.

67. Est verò discrimen illud triplicis considerationis: differunt enim primùm subiectis, siquidem civilis Magistratus officium est, societatem politicam, disciplinam & pacem externam tueri, defendere subditorum facultates, famam, corpora, &c: Ecclesiæ autem potestas spiritualis est, ad æternæ vitæ & spiritualium bonorum consecutionem ministrans. Ioh. 18. 36. Regnum meum non est de hoc mundo,

69. Des

68. Deinde differunt instrumentis, sive forma gubernationis. Magistratus enim politico datus est gladius externus & materialis in vindictam operi malo, & defensionem bono. Ecclesie autem hujus gladii externi usu prorsus est interdictum. Matth. 26, 52. & consistit forma gubernationis ejus in predicatione verbi, dispensatione sacramentorum, usu clavium regni caelorum. 2. Cor. 10, 4. Arma militiae nostrae non sunt carnalia. &c.

69. Tertium discrimen est in effectis: Vtraque enim potestas sui generis commoda habet: Magistratus, pacem civilem, & tranquillitatem corporalem 1. Tim. 2, 2. Ecclesia pacem cum DEO & hominum salutem sempiternam. Rom. 14, 17. Regnum DEI est justitia, & pax & gaudium in spiritu sancto.

70. Hinc manifestum est, in unum eandemque hominem simul utramque potestatem, uno eodemque tempore non cadere: secundum illud Christi servatoris: Reges gentium dominantur, & qui in potestate sunt, benefici appellantur: Vos autem non sic. Luc. 22, 25.

71. Et D. Apostolus Petrus, Episcopis externum sive mundanum dominatum, atque usum politicae potestatis omnino denegat, 1. Pet. 5, 3.

72. Vbi tamen minime imus inficias, in veteri Testamento utrumque officium uni eidemque personae potuisse competere id quod exemplo Melchisedechi, Genes. 14, 18. Mosis. Exod. 18, 13. & cap. 40, 27. Heli sacerdotis & Iudicis. 1. Sam. 1, 9. cap. 4, 18. probari potest.

73. Quo minus autem in Novo Testamento idem obtinere possit, obstat ipsa Reformatio Christi, qui utramque potestatem subjectis perpetuo distinctam esse iussit: ita ut haec differentia, jam sit ex hypothese Evangelica prorsus necessaria. Luc. 22, 25.

74. Quam constitutionem ipse etiam Christus observans, requisitus ad divisionem hereditatis inter duos fratres, politicum hoc opus, quippe ab officio suo alienum, subire noluit. Luc. 12, 13. Et Apostolus, Nemo militans DEO, inquit, implicet se secularibus negocijs. 2. Timoth. 2, 4.

C

75. Con-

75. Constat autem utriusque potestati sua etiam cognatio & affinitas, ratione causæ Efficientis, quæ utrobique DEVS statuitur: & respectu necessitudinis & auxiliij mutui, quo sibi invicem utramque devinctam esse DEVS voluit.

76. Quemadmodum enim sublatâ Ecclesiâ potestate commodè quidem, at non piè vivi potest: & rursus, abolitâ politicâ potestate, piè quidem, at non commodè vivi potest: Ita Ministerium in temporalibus indiget defensione magistratus: Magistratus verò in spiritualibus institutione Ministerij, vel maxime opus habet.

77. Quæritur autem & graviter controvertitur, cum constet experientiâ & facto ipso, Episcopos Romanos, Pontificem Maximum ferri jurisdictione & potestate temporalis: Quo & quali jure hoc fiat.

78. Sunt ex grege palponum Romanensium, qui jure divino Episcopis utramque jurisdictionem competere autumant. Grat. dist. 22. cap. Omnes.

79. Verùm cum ex scripturis nihil hujusmodi probari possit, & præter claves regni coelorum, de clavibus regnorum mundi Apostolis concessis nihil quicquam in ijs reperitur, purum putum hoc esse mendacium statuimus.

80. Alij, inter quos Bellarminus principem locum obtinet, statuunt, non diuino quidem, sed humano jure, & sic non mediatè atque directè: sed immediatè atque indirectè, non merè quidem temporalem, sed quasi mixtam in ordine ad bonum spirituale disponendi, potestatem Episcopos habere.

81. Sed minus commodè ac sufficienter rem explicant: & potior est Orthodoxorum sententia, statuentium Romanenses Episcopos habere quidem temporalium bonorum administrationem, jure humano, quippe donatam à regibus & principibus: verùm illegitimè: non mixtam, sed confusam habere istam potestatem.

82. Et constat ex scripturis non licuisse ullis Episcopis accipere à Regibus ullum aliquod temporale dominium in urbes & provincias, multò minus sibi ipsis usurpare, minime omnium bello armisq; vindicare: sed potesta-

rem

tem illam omnem politico magistratui fuisse relinquentem.

83. Etiam si igitur tenent potestatem & dominium temporale jure quidem humano: tamen veri Episcopi non sunt, & Episcopale nihil, præter solum nomen & titulum, retinent.

84. Et tantò quidem intolerabilior est hæc Episcoporum licentia & dominandi libido, dum præter temporalem illam potestatem mixtam & absolutam; in spiritualibus etiam jus sibi arrogent, instituendi ceremonias in Ecclesia, condendi leges, quæ obligent in conscientia: Ac jurisdictionem hanc verè coactivam esse dicunt.

85. Quæ profecto opinio gravissimis laborat incommodis: Nam 1. opprimitur doctrina de fide & justitia fidei, ac gloria meriti Christi læditur. Dum enim in immensum crevit constitutionum istiusmodi congeries: res ipsa docuit, magis magisq; obscuratam, & tandem tantùm non prorsus extinctam esse doctrinam de Christo, ejusdemq; meritis.

86. Deinde Christianismi conditio, dira servitute oneratur, imò in merum Judaïsmum hoc pacto convertitur: id quod præcedente disputatione de Traditionibus humanis in Ecclesia fufius fuit ostensum.

87. Tum Libertatis Christianæ privilegia enervantur, quando hominum mandatis, vel cum opinione cultus divini: vel cum timore peccati & anxietate conscientia servire Christiani necessum habent.

88. Vult autem DEVS libertatis Christianæ beneficium illibatam in Ecclesia retineri, dum ferò præcipit ut in libertate, in quam per Christum asserti sumus, stemus constantes, nec ea nos spoliari patiamur. Gal: 5. I. Cor. 7. 23.

Pars II. Articuli ΔΥΝΑΤΗΤΩΣ

89. Quæstionis primæ veriore & Orthodoxam doctrinam corrumpunt tum Anabaptistæ, tum Monachi, quorum illi Christianis civilia officia prorsus interdiciunt: hi-

verò perfectionem Evangelicam non collocant in timore
DEI, & fide, sed in deserendis civilibus officijs.

90. Prior ille error manifesta impietate laborat, dicam
nimirum scribens expressis scripturarum testimonijs, quæ
res civiles esse bonas, licitas, & DEI approbatione confir-
matas, dilucidè demonstrant: uti patet ex Quæstionis pri-
mæ decisione.

91. Posterior verò multiplicem perniciosam occultat hy-
pocrisin: dum 1. ordines reliquos hierarchicos, Politicum
nimirum & Oeconomicum perfectionis laude spoliat. 2.
perfectionis Evangelicæ substantiam ijs in rebus collocat,
quarum illa minimè est propria.

92. Nam ut rectè confessio nostra admonet, consistit per-
fectionis Evangelicæ laus in vero timore DEI, & fide:
non in desertione rerum civilium.

93. Vbi igitur notæ istæ veræ deprehenduntur, ibi hand
dubiè de perfectione alicujus potest statui, sive is in poli-
tico, sive Ecclesiastico sive Oeconomico ordine sit constit-
utus.

94. In alterius quæstionis decisione graviter errant Ro-
manenses, qui Episcopis utriusque potestatis jus, & quidem
ex ordinatione divina competere contendunt: fingunt
item, eos habere absolutam potestatem decernendi non
modò in temporalibus, sed etiam in spiritualibus quicquid
libuerit.

95. Quibus assertionibus quanta insit vanitas & imple-
tas, jam fuit commonstratum.

DEO GLORIA



2/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



5b







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO XX.
DE REBUS CIVILIBVS; ET POTE-
state Ecclesiastica:
EX ARTICVLO XVI.
*Confessionis Augustanae: & se-
prio mutatum abusum*
Quam
Docente Spiritu Sancto;
sub presidio
LEONHARTI HUTTERI, S.
Theologiae Doctoris & Professoris publici,
defendet
M. GREGORIUS HAGIUS OBERN-
Brettanus Francus.
Mense Maio, horis locoq; solitis.
VVITEBERGÆ,
Typis Zachariae Lehmanni,
Anno M. D. XCVIII.

79

